326

G


32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

KW
326 G 32


JOANNIS GEORGII GRAEVII

ORATIO

DE

PALLADIO TRAJECTINORVM.

A. D. VIII. IDUS SEPTEMBRES CIƆ IƆC LXXV. *HABITA.*



VLTRAJECTI,
Ex Officina MEINARDI à DREVNEN, Vrbis & Academiæ Typographi Ordinarii, ANNO CIƆ IƆ C LXXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

VIRIS.
AMPLISSIMIS.
ET.
PRUDENTISSIMIS.
CONSULIBUS.
ET.
SENATORIBUS
INCLYTAE. ET. PERVETUSTAE.
URBIS.
TRAJECTINAE.
RELIGIONIS. VIRTUTIS. DOCTRINAE. CUSTODIBUS.
ACADEMIAE. HUJUS. SERVATORIBUS.
ORATIONEM.
HANC.
PUBLICE HABITAM.
L. M. Q. D. D.
JOANNES. GEORGIUS. GRAEVIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

JOANNIS GEORGII GRAEVII

ORATIO
DE
PALLADIO
TRAJECTINORVM.

ILLVSTRES AC POTENTES POPVLI TRAJECTINI ORDINES, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI HVJVS VRBIS ANTIQVISSIMAE CONSVLES, ET SENATORES, ACADEMIAE CVRATORES, PROVINCIALIS CVRIAE SENATORES GRAVISSIMI, MAGNIFICE RECTOR, PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE VENERANDI, REVERENDI VERBI DIVINI PRAECONES; VOSQVE RELIQVI OMNIVM ORDINVM, AETATIS AC DIGNITATIS AVDITORES, ET TV FLORENTISSIMA STVDIOSAE JVVENTVTIS CONCIO.

REcludi denuo hoc doctrinae ſacrarium, & ſapientiae delubrum, confluere rurſus ad intermiſſa ſtudiorum curricula repetenda florem juventutis, novum adoleſcentum agmen undi-

dique huc, tanquam ad mercatum praeclararum artium concurrere, mirantur exteri, non credunt vicini, quin ipſi nos, qui haec audimus, qui haec videmus, vix auribus & oculis noſtris credimus. In tanto enim orbis terrarum tumultu, in tanto tubarum ac lituorum clangore, armorum ſtrepitu, tormentorum, quibus tota concutitur Europa, & in primis omnis vicinia tremit, rabie; in tanta Vrbium, arcium, caſtellorum corruentium fragore Muſarum vocem, dulcem illam quidem & per quem gratam, ſed valde lenem & omninm turbarum impatientem hic exaudiri, & quidem tam clare, tam ſuaviter ut etiam longe a nobis remotorum aures mulceat, ac ſi altiſſima pax eſſet & omnia tranquillitatis & otii pleniſſima, quis ſibi poſſit perſuadere? Cum Iani reſeratur templum, clauduntur Muſarum aedes. Cum furor gladiorum graſſatur, conticeſcit Apollinis lyra. Litterae ac diſciplinae tanquam Virgines pudibundae fulgorem armorum, terrorem aquilarum, & militarem clamorem ac inſaniam ferre non poſſunt; ſed ubi ſigna cecinerunt, vertunt ſolum ac ſedes transferunt in loca quieta & ſilentia. Non bene conveniunt elegantia, cultus, nitor, & vaſtitas, horror, ſolitudo. Non poſſunt ſociari humanitas & truculentia: nec in eodem morari contubernio animarum medicina, & morum peſtis.

In atrociſſima tamen tempeſtate, quae circumſonat iſtam Vrbem, in funeſtiſſimo hoc bello, quo terrrarum orbis ardet, ſtat haec Academia inconcuſſa inſtar Olympii verticis, qui ſupra nubes ſurgens perpetua ſerenitate ridet, ſecurus imbrium, procellarum, & turbinum, qui infra ſe omnia miſcent & laniant. Feruntur dii Heroi-
bus

busHomericis circumfudiſſe nebulam,qua tecti in ipſis proeliis, cum maxime fervverent, & acerrime pugnaretur, inter muctones vibrantium gladiorum,& volitantium jaculorum nimbos impune verſabantur & illaeſi. Noſtra fortuna quam longe illorum felicitatem ſuperat. Nobis in ferali hoc rerum motu, datum eſt non ſecus ac ſi apud Scythas & extremos Sereſ. bellum gereretur, quod audiremus tantum, non ſentiremus, noſtris ſacris operari tanquam in placidiſſimo pacis ſinu, ac receſſu tranquiliſſimo, ad quem vix Pelopidarum nomen pervenit. Nos non excubamus pro aris & focis contra inſultus hoſtiles, ſed optimarum artium ſtudiis invigilamus inperturbati, ac veterem cum Muſis deducimus rationem ſine metu, ſine ſollicitudine. Hoc otium præſtat nobis Dei benevolentis munere cum Sereniſſimi Arauſionenſis Principis invicta virtus, & conſilii magnitudo: quae non ſolum nos in fortunae laetioris eventum erexit, & effecit ut victis terga darent victores, ſed & ut qui fortunae tunc blandientis ſucceſſibus elati humanae ſortis, ſupra quam ſe putabant evectos, obliti erant, omnes ſane prae ſe mortales alto ſupercilio tanquam larvas & umbras contemnebant, nunc ſupplices illorum, quos vix adſpectu dignabantur, nunquam certe ſine contumelia nominabant, adorent genua:tum Ampliſſimi hujus Vrbis Senatus prolixa in pietatis, religionis,ac laudandarum artium Doctores voluntas, & incredibilis munificentia. Nam fidem omnem ſuperat in tantis publicae privataeque pecuniae anguſtiis, attritis opibns, exhauſto aerario, vaſtatis agris, jugulatis aut in alias regiones ejectis colonis, voraciſſimis denique tam dam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

noſi tam ſumptuoſi belli impendiis alios etiam extra bella ſumtus tollerari : nec ſolum tot exercitibus & claſſibus, tot ſociis & auxiliaribus copiis, verum etiam togatae huic militiae ſtipendia numerari. Poterantne luculentiore documento declarare quam faveant ingeniorum culturae, quantae curae ſibi ſint pietas & eruditio , in quarum tutelam omnes liberalitatis ſinus propemodum ſupra reipublicae vires effundunt, ac iis propagandis tantos ſumtus faciunt, perſuaſi eorum facile conſtare rationem erſi modum excedant , & non videatur conſtare iis qui omnia metiuntur pecunia? Nondum triennium effluxit, cum ab omnibus haec Academia haberetur conclamata. Vis enim hoſtilis, quae late tenebat omnia , haec ipſa acroateria in piſtrina veterat. Vbi antea ſapientiae doctrina tradebatur cupidae diſcendi juventuti, ibi dividebatur annona famelicis lixis & calonibus : quae fuerant virtutis & eruditionis officinae, tum erant horrea militaris commeatus : ubi ante paſcebantur animi ſaluberrimis præceptis, ibi jejunorum manipularium ventres farciebantur. Nolite quaerere. Muſararum culta novalia miles habebat, barbarus has ſegetes. Omnium animis obverſabatur triſtis exilii imago. Si enim haec mala fixa fuiſſent, ſiſti non potuiſſet. Hinc ſicut lucis amoenitate tenebrarum horror, & defaecati cœli ſerenitate tempeſtatis ſpurcities commendatur : ita temporum illorum diritas exhilararatur meliore fortuna, quae praeter expectationem nos reſpexit. Nam quam Academiam nemo ſuperfuturam exiſtimabat, ea laetis auctibus refloruit, & caput indies extollit altius; veſtra praecipue, Patres Ampliſſimi, cura & providentia. Non de-

deſuerunt qui jactabant e re publica eſſe ut pro temporis hujus difficultate, propter infinitos ſumtus, & vix magnis Regibus ferendos, quos belli neceſſitates poſtulant, id quod in Academiam impenditur, clauſis Scholis, exauctoratis doctoribus eſſe recidendum, ac Muſarum peculio inopiam aerarii ſublevendam, ut militum aera procederent commodius, aut claſſem ornandam, praeſertim cum in vicinia ſit Athenaeum illuſtre, in quo poſſint imbui cujuſcunque diſciplinae ſcientia, qui in ſtudiis liberalibus aetatem velint conſumere. Sed tantam abeſt ut hoc illiberale & diſpendioſum compendium in conſilio habueritis, ut potius ſimul ac diſcuſſum eſt ſervitutis jugum, quod hoſtes nobis impoſuerant, amplificandae Academiae, arceſſendorum novorum Doctorum, reliquorum expungendorum, quae contracta erant in communi illa calamitate, cum publici fati atrocitas non Academiam tantum hanc, ſed poene rempublicam oppreſſiſſet, & omnium cenſus merſiſſet, rationem inieritis omnibus ſeculis commemorandam. Detrivit quidem non nihil invitis vobis honoraria noſtra temporis aſperitas, ſed & de hac jactura propediem ſarcienda, lacunaque iſta ſolidanda, inſuperque de tenuibus ſtipendiis nonnullorum noſtris ordinis augendis certos non eſſe jubet veſtrae fidei, quam nobis dediſtis, religio, & teſtata illuſtriſſimis argumentis erga cariſſimam hanc veſtram filiam incredibilis benignitas & mirificum ſtudium. Ita praeſentium voluptas nos cum maxime tenet, & ſpes futuri lenocinatur. Quin hoc ipſo tempore blanda certae ſpei aura nos afflavit augurio ſecundo promiſſorum brevi exolvendorum. Immortale fuit benefi-

cium ergo litteras & humanum genus, quod fama rerum vehet perpetuo, & omnium temporum memoria celebrabitur, qui primi hanc Academiam dedicarunt. Plurimum debetur iis, qui eam ornarunt. Sed majus eſt quod Vos præſtatis. Nam in opum abundantia, cum pacis beatae copiis circumfluimus, cum agrorum cultus, & Vrbium florentia commercia locupletant arcas civium, & fiſcum reipublicae, liberalem eſſe, & in ſumtibus faciendis animoſum, non eſt res ardua homiminibus non ſordidis. At vero in maxima rerum omnium perturbatione & confuſione, in ipſo belli ardore, cum omnia hoſtili truculentia contabuerant, cum alia jam proſtrata, dejecta, conculcata jacent, alia fato eidem proxima nutant, ſolitudo, clades, vaſtitas undique incedit, non ſtantia quidem & integra, ſed ruinoſa atque lapſantia tueri & aſſerere, tam excellentis virtutis eſt, ut ne condere omnium primum & instituere praeclara opera majoris ſit faciendum. Vellem nunc, Patres Graviſſimi, tantam in me vim eſſe ingenii, tantamque dicendi ubertatem, aut, ut cum poëtis loquar, vellem mihi centum eſſe linguas, oraque centum, quibus poſſem hoc cœleſte beneficium dignis laudibus in cœlum ferre, quo non ſolum veſtros cives, ac liberos, ſed communem pattiam, ipſumque genus humanum devinxiſtis, cum inſtauraſtis hoc doctrinae prytaneum, in quo perpetuus ignis cuſtos humanae ſalutis fovetur. Quid enim & magis ad tutelam felicitatis publicae facit quam optimas artes & ſapientiae ſtudia florere quam maxime? Has ſi deleri in animis hominum, aut in uſu rerum extingui contingat, non alius ſtatus humani generis expectandus, quam mundi

nondum

nondum illuſtrati luce, nondum digeſti in admirabilem iſtum ordinem & pulchritudinem abſolutiſſimam, ex qua & appellatus fuit: cum diſcordantia rerum ſemina, non ſeparata jamque compoſita, ſed temere miſta atque confuſa per noctis immenſae vaſtam voraginem volutarentur ſine lege; cum calida frigidis, ſiccis humentia, mollia duris, & gravia levibus pugnarent. Tale chaos fuit ſuperioribus ſeculis, cum diuturnitate bellorum, & ferociſſimarum gentium incurſionibus elegantia litterarum & honor, ſcientiarum ac artium ſplendor, ipſa religio denique, humani animi maximum bonum non offuſcaretur duntaxat inducto ſqualore, ſed immergeretur propemodum penitus infeliciſſimis tenebris, & quodam quaſi noctris obſcænę alveo conderetur. Ne idem fatum aut ſeculum noſtrum, aut poſteritatem affligeret cavendum modis omnibus. Maximum quidem in vita hominum, a quo ſua cujuſque ſalus & coeterorum omnium pendet, eſt pietatis virtutiſque ſtudium. Sed plurimum ad virtutis perfectionem conferet doctrina. Qui litteras coluerunt neglecta virtute & ipſi in peſtilentiſſimas & inſaniſſimas opiniones inciderunt, & alios a ſanitate mentis ad furorem & amentiam traduxerunt. Nam qui doctrinarum pulchritudine capti in eo uno vehementer elaborarunt, ut facile diſputandi ſubtilitate, dicendi vi atque copia, rerum arcanarum ſcientia, quae ſunt a communi hominum ſenſu ſecretae, ceteris antecellerent, ſtolida inflati exiſtimatione ſapientiae, cum nihil eſſet inſipientius, adſpirante, quam captabant, aura populari, eo ſuut multi provecti, ubi amiſſis rationis gubernaculis ac judicii, ſic variis errorum flu-

ctibus

ctibus jactarentur, ut nullum capere poſſent veritatis portum; quin, ut prae reliquis viderentur ſapere, cœlum vituperarunt, linguiſque ac ſcriptis impiis oppugnare tentaverunt ipſum Deum, non de faece plebis homines, & ex pullatis circulis, ſed qui ſummae ſapientiae nomine ſibi placebant, qui cœli immenſa ſpatia metiebantur, qui litteris & argutiis inſoleſcebant, qui initia rerum & originem mundi perſpexiſſe, totiuſque naturae rationem exploratam habere putabant, in hunc furorem & amentiam praecipites acti ſunt. Diagoras Atheos, & Theodoretus, qui aperte Deum ſuſtulerunt, clariſſimi ſapientiae antiſtites, illa qua floruerunt, tempeſtate ſunt habiti. Quid? Abderites Protagoras, qui cum in principio libri ſic poſuiſſet, de Diis neque ut ſint, neque ut non ſint habeo dicere, Athenienſium Vrbe & agro eſt exterminatus, cujuſque libri in concione ſunt combuſti, nonne maximus & diſertiſſimus illius temporis Sophiſta fuit? Impudentiſſimus ille divinarum littetàrum irriſor Porphyrius, Originis in ſtudiis Philoſophiae ſocius, ac pœne par, cum videretur ſibi acumine ingenii, maximarum rerum ſcientia, conſilio ceteris anteire mortalibus, veritatem ipſam auſus eſt arguere mendacii, ſapientiam ſtultitiae, ſupremi illius aeternique Patris ſplendorem accuſare turpiſſimorum errorum. Magnus Plato in libris de legibus conqueritur graviter de Phyſicorum ſui temporis, ſic enim eos appellabant, qui abditas naturæ cauſſas & initia rerum rimabantur, temeritate & impietate, qua religio apud multos ſit everſa, ſublata vero religione neque leges, neque judicia, neque mores conſtitui poſſe. Nam ubi Numinis metus animos minime

minime continet, parum efficient leges & conſtituta civilia. Talia monſtra ſi priſtina tantum vidiſſent plena noctis & ſuperſtitionis ſecula, non eſſet quod nunc magnopere commoveremur, ſed noſtram quoque aetatem in tanta luce Chriſtianae doctrinae tuliſſe tantas Chriſtiani nominis vomicas & carcinomata, qui ingenii & ſapientiae opinione turgentes coelum ſuſtinuerunt expugnare, quis non percellatur & omnibus artubus contremiſcat? Quis enim neſcit Ochinos, Pomponatios, Vanninos, & alios plures, qui in Chriſtiana diſciplina delenda omnes ingenii nervos contenderunt, omnemque cogitationem defixerunt. Non leviter hi omnes in rerum naturalium aliarumque ſcientiarum cognitione fuerunt verſati, ſed cum huic uni ſe dediſſent, virtutis honeſtatiſque expertes, de eo quem tenebant curſu multum deflectentes in ſcopulos & vada inciderunt, unde ſe miſeri non potuerunt expedire, rati praeclare ſecum agi, ſi quid ex cognitione rerum gloriae inanis aut potentiae conſequerentur. Nihil enim aliud quam famam praedicationemque popularem ſibi in omni ratione ſtudiorum propoſuerunt, ad eamque rem litterarum ſcientia ſunt abuſi. Itaque enitendum eſt ne fiat in animis hominum divortium eruditionis & virtutis. Vbi pariter excolentur uberrimosque fructus ferent. Virtus ſola bonis artibus deſtituta quaſi inermis eſt, & omnium telis expoſita, nec ſatis adverſus impiorum vim, impetum, & conſilium munita. Nam ſi ii, qui abie immaniſſima extinguere Chriſtianam pietatem & ſepelire conantur, homines ſunt diſerti, & multiplici variarum rerum cognitione armati, quanto in diſcrimine verſabitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

bitur populi Chriſtiani ſalus? quantam vaſtitatem inferant noſtris rebus? quam libere illi & impune vagabuntur, quo impetu omnia dejicient, & proſternent, ſi nemo ſit, qui iiſdem artibus inſtructus obviam ire poſſit eorum conatibus, ac impudentiſſimorum hominum amentiam frangere, audaciam refrenare, ac tortuoſas quaeſtiones ac Chyſippeos nodos diſſolvere. Iiſdem armis defendenda eſt noſtra religio, quibus oppugnatur. Gladius eſt extorquendus hoſti e manibus, illaque ipſa acie caput illius amputaudum, qua is jugulum noſtrum petebat. Unde is ſuxit venenum, inde nobis antidotum eſt hauriendum. Deus quidem ſaepe ſolitus eſt labentes res confirmare, & proſtratas erigere, cum viderentur depoſitae, & omni humano auxilio nudatae, poſtulat tamen idem Deus ſaepe, ut nos induſtriam virtutemque animi noſtri excitemus, omnem vero ſpem conſervandae ſalutis in uno collocemus. Itaque, ut nunc ſunt res Chriſtianorum, verae doctrinae praeſidiis Chriſtiana religio ſepitur & defenditur contra temere irruentes hoſtium acies. Pietas enim & virtus eruditione armata tantum poſſunt, ut nullius tanta ſit obſtinatio ſententiae, nullius tanta pertinacia, ut ſuſtineat earum viribus reſiſtere? Nihil eſt in vita hominum majus quam divinarum & humanarum rerum prudentia ſingularis virtutis ſplendore illuſtrata. Sed non tantum eruditio ſervit ſtabiliendae rei Chriſtanae, ſed ejus uſus tam late patet, quam lati ſunt fines rerum humanarum, & ad omne vitae genus pertinet. Niſi temporis anguſtiis urgerer, poſſet hic mea exultare oratio, & in latiſſimum expatiari campum. Verum quamvis excludar ſpatiis iniquis, non poſſum tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

tamen ſilentio praeterire, ipſas artes militares, quae tam infeſtae Muſis ſunt, Muſarum opera indigere. Nam ut ratio ſua machinis, ut diſciplina munitionibus, ut ordo & robur aciei conſtet, tum ne poſitus cœli & habitus, ne ſitus locorum, (unde magnae rerum gerendarum occaſiones naſci ſolent) fraudi ſint, ne paludum, fluviorum, marium ingenia, ne peſtilentes terrae aut officiant valetudini exercitus, aut retardent praeclaros conatus, & optati conſiliorum eventui obſtent, noſtrae artes & diſciplinae inprimis promittunt, ſuique contemtum ſæpius graviter ſunt ultae funeſtis cladibus & internecione magnorum populorum. Nicias Athenienſium imperator, cum Sicilienſi bello deterritus Lunae defectione, cujus cauſſas neſciebat, non auderet claſſem deducere, Athenienſium opes afflixit. Annibal quoque ſummus ille Carthaginienſium Dux & ſummis omnium gentium ducibus conſilio & virtute par, Solis obſcuratione naturali ante noviſſimũ cum Romanis proelium perculſus, res ſuae patriæ prodidit. E contrario Pericles ille Olympius qui in Anaxagoræ ſchola omni cultiore doctrina fuerat perpolitus, cum praetor eſſet claſſis Athenienſium, jamque ferentibus ventis decreſſet vela dare, ſubito ſol viſus eſt langueſcere. Milites & claſſiarii rationis ignari omen habuerunt inauſpicatae expeditionis, conſternatique nolebant mari & ventis ſe credere. Pericles cum id intellexiſſet, militis oculo chalmydem oppandit, interrogans num quid mali res iſta portenderet, illo vero negante, quid ergo, inquit, haec res ab illa differt niſi quod majus quiddam eſt chamyde, quod ſoli obtenditur? quo dicto omnes ſoluti liberique inani-

metu laeti & alacres oram ſolverunt, ituri quo patriae ſalus vocabat. Proavorum noſtrorum tempeſtate Odetus Lautercus, Nobiliſſimus & magnae virtutis ac felicitatis Gallorum dux, cui a Franciſco XI ſumma belli Italici erat commiſſa, Neapolin arta cinxerat obſidione. Vt circumſeſſos acerrima vexaret ſiti, omnes rivos, amnes, vivoſque latices averterat ab urbe, & derivarat in agrum vicinum. Stagnantes aquae in regione calore ſolis ardente tam tetrum & noxium exhalarunt ſpiritum, ut orta inde peſtilentia totum fere exercitum cum ipſo Duce conſumeret, ac de viginti milibus vix quatuor milia feralem illam cladem evaderent: quæ omnes fructus priorum victoriarum omneſque ſpes Franciſci corrupit.

Quam multa, quae etiam præſtantiſſimorum ducum vim effugerunt, eorum vim, qui in artibus noſtris egregie verſati erant, non potuerunt effugere. Quis ignorat Archimedis ingenium, unici ſpectatoris cœli & ſyderum, mirabilioris tamen inventoris bellicorum tormentorum? Is nobiliſſimam Vrbem Syracuſas multum ac diu a Romanorum impetu defendit, cui tantum attulerat eruditio facultatis, ut quae hoſtes ingenti mole agerent, ea ipſe perlevi momento ludificaretur, & cujus Imperatoris armis univerſa civitas terrra marique munitiſſima non facile potuiſſet reſiſtere, ejus impetum unius induſtria vel frangeret vel retardaret. Quid Callimachus homo in Mathematicis vehementer exercitatus non effecit? Amiſum clariſſimam Cappadociae Vrbem oppugnatam a Lucullo non ſolum diu ſalvam & incolumen ſervavit ſuis machinis, ſed Romanorum copias multis affecit cladibus, ut non potue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

tuerit fortiſſimus Imperator aliter ea quam calliditate & dolo potiri. Sed dies, vox, latera me deficerent, ſi quam utilitatem afferant caſtris, aciei, claſſibus artes liberales dicendo velim exequi. Quas dum fovetis, Patres benigniſſimi, & hanc tuemini Academiam, in qua traduntur, tam paci conſulitis, quam bello proſpicitis, tam hujus temporis quam poſteritatis cauſſam agitis, inſtar agricolarum, qui ſerunt arbores facturas ſeris nepotibus umbram. Veſtris quidem Veſtrorumque civium liberis nihil ſalutarius nihil fructuoſius, conſtituta & ſervata hac bonae mentis palaeſtra, quae hujus civitatis palladium eſt, potuiſtis praeſtare. Athenienſes aliquando conſulebant Apollinem, quam viam ſequerentur ut cives ſui evaderent boni viri. Reſpondit oraculum ſe id conſecuturos, ſi in puerorum aures immitterent rem omnium pulcherrimam optimamque. Illi abrepti opinione vulgi, quod nihil auro majus pulchriuſque haberi putat, liberorum ſuorum aures perforarunt, & exornarunt auro. Stulte illi quidem & non pro coetera ingeniorum ſuorum ſollertia & perſpicacitate. Sententia oraculi erat, auribus puerorum inſtillandas eſſe ſcientias optimas, & pulcherrima ſapientum praecepta, quibus libido, luxus, avaritia, ambitio, aliaeque vitae humanae peſtes domantur. Recta enim diſciplina eſt praeſtantiſſima mentium aegrotarum medicina, quae cupiditates effrenatas coërcet, ſpes vanas aufert, inanes formidines depellit, pravas evellit opiniones, inſerit alias hominum excellentia & nobilitate dignas. Vnde intelligunt omnes, poſterique teſtabuntur non potuiſſe majus a Vobis reipublicae munus afferri, quam cum curaſtis, ut juventus e-

rudiatur recte, & quidem in veſtro ſinu. Nam quamvis in propinquo ſit celebre lyceum, in quod ajunt poſſe mitti noſtros liberos, quantum tamen domeſtica praeſtet educatio, ſi mihi non creditis, at credetis, puto, Cajo Plinio, Viro Conſulari, dignitate, prudentia eruditione ac facundia ſui temporis principi. Cum veniſſet Novum Comum in patriam ſuam, ibique accepiſſet civium ſuorum filios Mediolanum mitti ſtudiorum cauſſa: vehementer, inquiebat, veſtra intererat, qui patres eſtis liberos veſtros hic potiſſimum diſcere. Vbi enim aut jucundius morarentur, quam in patria? aut pudicius continerentur quam ſub oculis parentum? aut minore ſumtu quam domi? Quantulum eſt ergo collata pecunia conducere praeceptores? Quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre emuntur (omnia autem peregre emuntur) impenditis, adjicere mercedibus? nihil honeſtius praeſtare liberis veſtris, nihil gratius patriae poteſtis. Edoceantur hic qui naſcuntur, ſtatimque ab infantia natale ſolum amare & frequentare conſueſcant: Atque utinam tam claros praeceptores inducatis, ut a finitimis oppidis ſtudia hinc petantur: atque ut nunc liberi veſtri aliena loca, ita mox alieni in hunc locum confluant. Quod Plinius ſuae optabat patriae, hujus boni Vos hanc civitatem voſque ipſos compotes feciſtis. Talem enim hic aperuiſtis pietatis & eruditionis officinam, ſic eam inſtruxiſtis, tales magiſtros undique conductos ei praefeciſtis, ut non ſolum veſtri liberi nuſquam libentius, nuſquam fructuoſius omne ſcientiarum & artium genus poſſint imbibere, ſed & ut ejus pulchritudine & fama allecti non modo proximi & vicini, ſed juvenes lectiſſimi

lectiſſimi ex omni Europa, ubi litteris honor & pretium conſtat, huc confluant, tanquam ad pulcherrimam animorum & oculorum panegyrin. Nam profecto ſi quis eſt in Europa locus, qui aut coeli ſolique clementia, agri circumjacentis amoenitate, abundantia omnis generis annonae, cum ad praeſidium, tam ad blandimenta vitae, aedificiorum ſplendore, viarum amplitudine, & celebritate, nobilitate & comitate incolarum, formoſitate quoque elegantiſſimarum & caſtiſſimarum puellarum (hanc quoque laudem a me non praetermitti nolite mirari aut ridere: Nam ille ingeniorum princeps Homerus, ab omni memoria omnis ſapientiae antiſtes habitus, hoc nomine Graeciam praecipue celebrat quod fœminarum pulchritudine & venuſtate praeſtet) ſed ſi quis eſt in Europa locus qui tot aliiſque innumeris dotibus homines poſſit ſollicitare, ut aut ſedes ibi ſigant perpetuas, aut ver aetatis tranſigant in ſtudiis praeclaris, noſtra certa eſt beata Trajectus. Nam quid laudes in ulla fortunata Vrbe quod hic deſideretur? Coelo ne poteſt eſſe quicquam mollius, aut aëre hoc, quem haurimus, purius & ſalubrius? Non ſentimus hoc tantum ſed & certiſſimis habemus exploratum argumentis. Cum peſtilens ſydus in vicinis urbibus vim hominum infinitam aliquoties confecit, noſtra haec urbs aut plane fuit ab hoc malo intacta, aut ſi vicinitas contagione nocuit, non ſerpſit late nec magnam edidit ſtragem. Romani in caſtris ponendis nihil prius habebant exercitus ſanitate. Eam ne in diſcrimen adducerent, ante quam metabantur pecora, quae ibi paſcebant, ubi conſidere volebant, immolabant, inſpiciebantque jecinora. Si eſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

ſent livida, & corrupta, mactabant alia, dubitantes morbone an pabuli vitio tabuiſſent. Cum pluribus experti eſſent, & probaſſent ſolidam & integram jecinorum naturam aqua & pabulo, ponebant caſtra, conſtituebant munitiones: ſin vitioſa & ſuppurata deprehendiſſent, judicabant in humanis quoque corporibus naſcentem iiſdem in locis aquae cibique copiam peſtilentem futuram. Qui doctrinae ſapientiaeque dediti ſunt, in capienda ſede ſtudiorum non in poſtremis habenda eſt ſalubritatis cura. Nam qui aegrum trahunt ſpiritum animo valere non poſſunt, tanta eſt corporis animique conſociatio. Vbi vero hic non viget, nihil proficiet in meditatione diſciplinarum liberalium. Firma valetudine & vita longa virtutis cultori, & veritatis indagatori opus eſt. Loca formidinibus morborum obnoxia litterarum ſapientiaeque tractationi parum ſunt accommodata. Non fruſtra poëtarum natio Muſas in montibus, in apricis collibus, in grata ſacrorum nemorum umbra, ad liquidos fontes, & amœnas amnium ripas aetatem agere finxerunt. Nimirum fugiunt illae Divae paludes, locaque fœtore & gravibus paludum & ſtagnorum nebulis infecta, quae corpus animumque vexant. Non potuerunt non amare Trajectinam Vrbem & agrum, quo vix quicquam cultius, pulchrius, feracius ſol adſpicit, ut Gratiae, Ceres & Flora in eo exornando vires ſuas expertae eſſe videuntur. Equidem Muſas amaſſe noſtram Vrbem, & ex Graecia & Latio huc migraſſe, vel antequam hoc auguſtum templum illis conſecraretur, oſtenderunt Rataliere, Canteri, Cauchii, Valerii, Buchelii, totque alii viri interioribus litteris delibuti, quos aut edidit olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

olim Trajectum, aut ſinu ſuo benigniſſime fovit. Poſſem multa commemorare alia, quibus haec Vrbs prae aliis excellit, & abundat, & ad vitae jucunditatem facilitatemque, & ad facultates rerum & copias, niſi promta eſſent, & teſtata, ac in omnium oculos incurrerent. Quis enim ignorat, quanta hic ſit carnium, piſcium, altilium, ferinae, fructuum omnis generis vis, praeſtantia, & vilitas. Quae ſitus ſit opportunitas ad excurrendum & evehendum quocunque locorum fert animus. In meditullio Belgicae foederatae Belgicae ocellus eſt conſtitutus. Iſtae commoditates brevi, ſic augurari libet, magnis acceſſionibus augebuntur, cum in Auſtrinum maris ſinum foſſa magni operis, ſed majoris fructus, quam moliuntur Illuſtres & Praepotentes hujus Provinciae Ordines, ſecundis auſpiciis aperietur. Vela tum dimittemus in varias mundi plagas; importabuntur, & efferentur quaecunque mirabiles utilitates praebent omnibus; pelletur inopia, ſanabuntur vulnera, quae Galli huic inflixerunt tractatui; ditabuntur & omni felicitatis genere mactabuntur, quotquot hanc coluntTrajectinam urbem, & agrum. Faxit modo Deus ut brevi exitus omnium votis reſpondeat. Ceterum ut ad facilem cultum vitae, ne ſtudioſi artium ingenuarum ullis conflictentur incommodis, iſti civitati cuncta ſuppeditant, ſic & moribus expoliendis illa apta nata eſt. Floret enim viris nobiliſſimis, quos non magis natalium ſplendor, & plena imaginum antiquiſſimarum atria, quam morum decor & elegantia illuſtrat. Indigenae ceteri honeſti loci & ordinis, nec non advenae multi domi nobiles, qui invitati amoenitate loci fortunas ſuas huc tranſtulerunt, omnes humanitatis & offi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

cii ſunt pleniſſimi, ut vix uſquam ſit oppidum, in quo litterarum domicilium ſit erectum, in quo plures incolae reperiantnr ad omnem elegantiam facti & compoſiti. Quis eſt tam vaſtis & inconditis moribus, qui horum hominum conſuetudine & uſu non brevi, exuta inſulſitate, ac ruſticitate, ad omnem politiorem urbanitatem inſtituatur? Sic non tantum parens ſapientiae & doctrinarum eſt haec Academia, ſed & magiſtra elegantiae & cultioris vitae. Quod quanti faciendum ſit, illi ſoli non intelligunt, quos ad vitae tenebras & ignobile plebis ſilentium abjecit malevolens genius. Eruditio maximi quidem eſt æſtimanda, & ſumma admiratione proſequenda, ſed niſi venuſtas gratiaque morum acceſſerit, ludibrium debebit omnibus, qui in luce & coetibus hominum verſantur, & umbraticae deformitate vitae ſic corrumpetur ut animos hominum urbanorum non ſolum a ſe alienet, ſed & faſtidium & contemtum ſui pariat.

Ipſa vero ſcientiarum & diſciplinarum doctrina qua fide ſtudio & diligentia, qua via & ratione in hac Academia tradatur, nec meus, nec meorum & Collegarum pudor ſinit ut multis prædicem. Hoc conſtat inter omnes, & ſine vanitate dicitur & jactantia, nullum eſſe Doctorem Academicum in Belgicis Athenaeis, qui primos noſtros quatuor ordinum, quos vulgo facultates vocant, & aetate, & longinquitate temporis, quos in docendo conſumſerunt, anteeat. Multum autem poteſt longus rerum uſus cum in omni vita humana, tum etiam in hac Academica ſtatione in iis, qui & ingenio praeſtant, & aſſiduitate ac induſtria partas doctrinae copias novis incrementis indies cumulant.

Omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Omnium vero, quos conſcripſiſtis diſciplinarum & artium interpretes, hoc unum eſt ſtudium, haec una antiquiſſima cura, uti pietate & virtute exardeſcant, qui illis dant operam, ne doctrinae & vitae ſit diſſidium: utive ſanctiſſimae religionis integritas illibata conſervetur, ne aut a profanis harpyis, omnia ſuo fœdo contactu conſpurcantibus, aut a peſtiferarum opinionum, quarum haec aetas & terra feraciſſima eſt, auctoribus & ſectatoribus labefactetur. Non minore ſtudio a ſingulis datur opera, uti omne genus bonae diſciplinae profuturum publico via & ratione doceatur, ut quicquid veteres ſapiendi & dicendi magiſtri optimi praeceperunt; quicquid hujus & ſuperioris aetatis, a qua renatae ſunt litterae, ſollertia eruit aut novum & antiquis inviſitatum, aut longa temporum injuria hominumque inſcitia obſcuratum & amiſſum retraxit in lucem, exponatur, ut aſſiduae de difficillimis rebus habeantur diſputationes, quibus illuſtrentur obſcura, & nodoſa & quibuſdam quaſi tortuoſa funibus explicentur: uti Hebraicae, Gcaecae, Latinae litterae, & dicendi exercitationes floreant: uti veritas in omni doctrina eniteſcat, neve ullae ei obducantur tenebrae. Nam in viris vere doctis eſſe neminem exiſtimo, idque ex meo aſſevero ingenio, quin veritatem in ſuo quiſque genere, divitiis, honoribus, potentiae, imperio, gratiae anteponat: & cum illa, quamvis ſplendida & prima hominum vulgi opinione, tum alia etiam his priora facilius amittat, quam veritatis jacturam faciat. Itaque cum ad docendum prodimus, meditati venimus, non ut arator manus in fundum, ſic linguam nos in ſcholam adferimus, ſed & mentem & linguam, ne

pro veritate vel falſa prodantur, vel nugis auditorum expectationem fruſtremur. Itaque fit ut qui e noſtra diſciplina prodierunt minime noſtrae conſuetudinis, & temporis, quod nobiſcum poſuerunt, pœniteat, ſed nobis agant gratias, quod bonis litteris apud nos fuerint tincti, & guſtum quarumvis partium ſtudii ſapientiae acceperunt, neque nos celant, quae deſiderent alibi, quorum apud nos non fuiſſet inopia. Poſſem hic alia ſubtexere de Academia noſtra veriſſima, de diligentia in ſcholis publicis & domeſticis obeundis, ut nemo ſibi quicquam indulgeat, nemo horam ullam praetermittat, quae dicta eſt dicendi numeri, niſi dura & ineluctabilis neceſſitatis lex intercedat, nemo ſibi quicquam contentionis reliquum faciat, ut ſevera lege proficiat juventus, & ad ſerena ſapientae & doctrinae templa enitatur: Poſſem his ſubjicere quantum praeſidii ſtudioſis juris poſitum hic ſit in ſummo reipublicae Trajectinae tribunali, quod in hac Vrbe eſt conſtitutum, ut ſtatim, cum tyrocinii rudimenta poſuerunt apud doctores noſtros, poſſint audire patronos cauſſas orantes, omnemque illam diſciplinam fori perdiſcere, ne cum poſtea in id venerint, aut ad rempublicam acceſſerint, videantur in alium terrarum orbem delati: ſed ſubducenda eſt haec navis, ne in altum provecta portum non inveniat.

Veſtrum eſt, Juvenes florentiſſimi, ſpes patriae, parentum gaudia, noſtrae deliciae, tanto muneri, quod vobis offertur, tantae munificentiae ſenatus Ampliſſimi gratiam referre. Vobis enim haec omnia ſeruntur, Vobis metuntur. Gratiam autem referre majorem acceptioremque nullam poteſtis, quam ſi fructu hujus libe-

liberalitatis Vos ipſi non ſpoliaveritis. Fruemini vero praeclaris donis, ſi ſecure immiſeritis manum, ſi occupaveritis, quae aetati, ingenio, & propoſito cujuſque maxime convenient: ſi inertiam ſegnitiemque, infeſtiſſimum bonae mentis ſcopulum declinaveritis: ſi non patiemini vos auferri peſtilenti otii dulcedine, & fallace voluptatum amoenitate. Neminem unquam mortalium gulae & ventris obſequium, & in popinis ac luſtris aetas contrita magnum fecit & clarum. Sola virtus & labor haec praemia conferunt. Nos nullo vobis loco, nullo tempore deerimus. Studia veſtra non otio tantum noſtro, ſed & negotio & occupationibus anteponemus. Vos acuite atque excitate noſtram induſtriam veſtra diligentia. Videtis ne candidiores nunc fulgere ſoles, placidiora illuceſcere tempora, lætis nunciis de victoriis, quibus variis in Germaniae locis a ſociis noſtris fuſi fugatique ſunt hoſtes reipublicae, & in Treviris occidione caeſi, omnia perſonare compita? Videtis hic in vicina Belgica a Sereniſſimo Principe Arauſionenſi ita teneri hoſtes conſtrictos, ut vix auſint pedem movere ſine trepidatione, nec jam de alienis occupandis cogitare; ſed de ſuis finibus tuendis adverſus noſtrorum irruptionem eſſe ſollicitos. Haec omnia nobis certam ſecurae pacis ſpem aſſerunt: quam non praeſtabunt poſita arma, ſed poſitus armorum metus, cum injuriae licentia & facultas hoſtibus fuerit erepta. Deſiderabit tum patria veſtram operam, quam ei navare utiliter non poteritis, niſi nunc iis artibus imbuemini, quibus ad magnae fortunae cultum parantur animi.

Quod nunc reſtat, Te Sator rerum, Pater aeterne,

Te, Servator orbis ac Soſpitator quod condidiſti operis, aeterne Fili, Te doctor unice & dux in omne verum, Spiritus aeterne, Te inquam trinum nomen, nomen Dei unius unum publica voce, quam poteſt devotiſſime, veneror ac obteſtor, adſpira noſtris cœptis, da nobis eam mentem, ut poſſimus quam maxime prodeſſe juventuti noſtrae fidei creditae, illos inflamma ſalutaris doctrinae diſcendae cupiditate, ut pietate infucata, omnique virtutum genere praeclararum rerum ſcientiam cumulet. Serva ac tuere rempublicam: ſerva, cuſtodi, ac ſoſpita GVILIELMVM HENRICVM, invictiſſimum Arauſionum Principem, ejus arma proſpera, ut victis perduellibus, pace reſtituta, religio, libertas, optimaeque artes floreant ſeculis innumerabilibus.

D I X I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 G 32